miliaritate fœminarum, quid eorum viri aduerſarij ſui vel ſibi ſuſpecti agerent molirenturque deprehenderet, conſtat ſiue hinc, ſiue aliunde, coniurationes contrà eum omnes ferè ſurgentes oppreſſiſſe.

OTTHO AVG.

OTtho qui ſeptimus ab Auguſto Romani Imperij fręna corripuit, & ſi apud quoſdam Hiſtoricos, an propter morum fœditatem, an propter temporis breuitatem, incertum hinc cum Vitellio è numero Principum excludatur, non ab ſimili conſilio vſus, dum libertinæ anus, & ſortis & ætatis vltimæ, ob hoc vnum, quia inter aulicos gratioſam ac fauorabilem videbat, non obſequium modò, ſed quod anilem credulitatem mulcere ſolet, amorem planè ridiculum ſimulauit: Non inefficaci quidem ſolertia, quando per illam Neroni conciliatus, tunc temporis imperanti, primum inter amicos ſortitus locum, ipſe poſt verſante res hominum fortuna, ad Principatum quoque ſubuectus eſt, tantum valuit obſequioſa calliditas.

GALBA AVG.

GAlbæ Principis haud ſtolidum iudi-